



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stella Mystica**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1607**

Quam necessaria sit nobis pax cum Deo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10014**

Quam necessaria sit nobis pax cum  
Deo.

CONSIDERATIO.

**Q**UIS Rex, ait Christus, itu- *Luc. 14.*  
rus committere bellum ad-  
uersus alium regem non se-  
dens prius cogitat, si possit

cum decem millibus occurrere ei, qui  
cum viginti millibus venit ad se? alio-  
quin adhuc illo longè agente, legatio-  
nem mittens rogat ea quæ pacis sunt.

Quibus verbis indicare voluit eum  
qui aliter ageret valdè temerarium

& imprudentem esse: quanta ergo

infantia & temeritas est hominum  
qui nullo suarum virium respectu

habito bellum contra Deum com-  
parant? Homines sunt minimi ter-  
ræ vermiculi: Deus verò est supre-

mus totius vniuersitatis Monarcha.  
Homines sunt infirmi & impoten-

tes: Deus verò adeo fortis & potēs,  
vt nemo sit qui possit resistere vo-

luntati eius. Ipse est *Deus exercitu-*

*um*, vniuersum orbem suis tempe-  
rans legibus, & sine personarum ac-

D ceptio-

*Quanta sic  
dementia  
illorum qui  
contra Deū  
bellum mo-  
uent.*

*Lucifer de  
cælo eijci-  
tur.*

*Apoc. 12.*

*Gen. 3.*

*Adam &  
Eua para-  
diso expel-  
luntur.*

*Babylonicæ  
turris condi-  
tores disper-  
guntur.*

ceptione in omnes qui se contra ipsum erigunt, grauitè animaduertens. Lucifer non tam citò se contra summam eius maiestatem extulerat, quando Michael Archangelus coelestis militiæ princeps certamen cum eo iniit, superatumque in ima inferni loca præcipitem egit, simulque omnem illam seditiosam turbam, quæ factioni eius adhæserat, de cœlis eiecit. Adam & Eua in terrestri Paradiso collocati Dei creatoris sui tantillum obliti sunt, vt mandatum illius transgredere-  
tur, atque pernitiōsis vafri serpentis consilijs morem gererent: & statim Angelus Domini de Paradiso illos exegit; atq; introitū illius gladio flāmeo armatus obsidens, ne illuc ultra reuerterentur prohibuit.

Turris Babylonicæ structores, qui in cœlum videbantur velle conscendere, non habuerunt meliorem exitum suæ temeritatis: namque linguis eorum extemplo confusis, ab incepto ædificio absistere atque in varias orbis terræ partes ab inuicem

cem

cem cum magna confusione discedere coacti fuere.

Tēpus me deficiet si omnia huiusmodi exempla huc velim congerere: vnica tantum S. Iobi sententia prædicta confirmasse sufficiet: *Iob. 9.*  
 qui loquēs Deo ait: *Quis resistit ei, & pacē habuit?* quasi diceret, Nemo.

Caue igitur tibi, Fidelis Anima, caue inquam ne tantæ audaciæ atque impudentiæ sis, vt aduersus Deum proelium comparare audeas. Quod si forsitan peccati alicuius mortiferi contra diuinam illius maiestatem admissione bellum hoc iā exorsus es, omni ope cōtende vt in bonam pacem id commutes. *Modus pacem cum Deo faciendi.*

Quod fiet si de illo poenitueris ac in posterum sanctissimis legibus eius obtemperaueris, hoc est, æquissimis illius & superiorum tuorum tam spiritualium quam temporalium iussionibus parueris. Hæc enim obedientia concordiam stabilem inter te atque ipsum facile conciliabit. Nihil enim, vt sanctus Leo Papa inquit, aliud est *S. Leo serm. 6. de nativitate*  
 D 2 pacem

Esa. 48.

pacem habere ad Deum, nisi velle, quod iubet, & nolle quod prohibet. Deus ipse per Esaiam prophetam id testatur cum ait: *Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua.* Qua sententia significare voluit quod si legibus illius Israel semper se conformasset in pace tranquillissima & continua vixisset, quam quia leges illius violauerat, perdidit.

*Quid ei faciendum, qui pacem habere cupit.*

Cupis igitur cum Deo pacem habere, obediens esto illi: mandata illius obserua: neque modò illius sed etiam parentum, Prælatorum & superiorum, Regum & Principum, Dominorum & magistrorum tuorum: & ne multis, omnium eorum qui ius habent imperandi tibi. Ad hoc enim diuinis & humanis legibus ac voto quo te, si religiosus es, obstrinxisti, obligaris. Deus inquit: *Honora patrem tuum & matrem, ut longo viuas tempore, & benè sit tibi in terra* Et S. Paulus ait: *Obedite præpositis vestris & subiaceate eis.* Et rursum: *Omnis anima potestatibus subli-*

Deut. 5.

Hebr. 13.

Rom. 13.

mio.

*mioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Sunt nonnulli qui hanc obedientiam à se cupientes excutere inquirunt: Principes & Dominos, Parentes, aliosque superiores homines esse multis imperfectionibus obnoxios, ac proinde ut alios errare posse. Hic prætextus admodum friuolus est. quamvis enim ita se res habeat: non tamen idcirco deneganda est illis obedientia, quatenus superiores sunt, & vires Dei gerunt. Sic enim ait Christus loquens ad Apostolos: *Qui vos audit & me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et alibi agens de Scribis & Pharisæis, atque in eorum persona de superioribus, benè loquentibus & malè viventibus: *Omnia quaecunque dixerint vobis servate & facite: secundum verò opera eorum nolite facere.* S. Petrus Apostolus Magistri sui doctrinæ inhærens ait: *Subditi estote in omni timore Domini, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Quam ergo excusati-

*Obiectio  
quorundam  
refellitur.*

*Luc. 10.*

*Matth. 23.*

*5. Petr. 2.*

*Sine excu-  
satione sūt,  
qui obedire  
nolunt.*

onem prætexere valebunt, qui se Prælati & superioribus, Magistris, Dominis ac parentibus suis subijcere, ac iussis eorum parere nolunt. Excusationem iustam omnino nullam habent, contra vero iustissimam rationem seipso accusandi, & ingenuè confitendi, quod admodum infirmam fidem habeant, cum tot sacrarum literarum testimonijs in obedientiæ commendationem allatis credere nolint: quod etiam ad humilitatis officia valde tardi sint ac difficiles, quandoquidem hominibus quos D E V S ipsis præposuit, ac superiores illorum esse voluit, se spontaneè submittere abnuunt.

*S. Bernard.  
de præcep-  
to & dispē-  
sat.*

Tu verò, Fidelis Anima, crede sacris literis, & in omnibus ac per omnia Deo ac superioribus tuis, quādiu nihil quod diuinis placitis contrarium fuerit imperant, integram obedientiam exhibe. Noli erubescere hominibus pro Dei amore subesse, quando Deus ipse nō indignatus fuit hominibus tua causa sub-

sub-

subijci, Libenter & *ex animo*, vti S. *Coloff. 3*

Paulus Apostolus monet, obtempera, atque summoperè caue ne de tibi imperatis conqueraris, vel

murmures, aut imperium superiorum tuorū omnino recuses. Illi etenim qui contra Moysen ducem su-

*Num. 2*

um murmurarunt, venenatorum serpentum moribus interierunt.

Et Ionas Propheta qui à Deo in Niniuem missus erat, cum contra

Dei iussione Ioppen nauigaret, *Ion. 1. &*

tam horrenda tempestate iactatus 2.

fuit, vt semetipsum mortis reum, atque in mare mittendum esse, quo

fluctus eius sedarentur, asseuerare coactus fuerit. Talia vt pluri-

*Murmura-*

mum euenire solent murmurato-

*torum &*

ribus & inobedientibus, illis potissimum qui religiosi sunt: nam sæ-

*inobedien-*

penumerò à serpentibus infernalibus, malignis videlicet spiritibus

*tum pæna.*

mordentur, & tantis corporis & animæ tempestatibus & turbationib.

Deo sic ppter inobedientiā eorum permittente, exagitantur, vt tandē

se in mare huius mūdi precipitēt, &

D 4 quod



quod peius ac miserabilius est, ibi  
maneant & miserandum in modum  
pereant.

Hæc fidelis anima, siue religiosa  
siue mundana sis, diligenter tecum  
expende, & ex earum consideratio-  
ne statue promptam, integram, &  
hilarem obedientiam superioribus  
potius exhibere, quam contra eos  
murmurare, aut imperium & iussa  
eorum omnino recusare aut conte-  
mnere. Hæc obedientia te non red-  
det abiectam & contemptibilem,  
sed multò magis illustrabit, & com-  
mendabit. Obtemperando magi-  
stris & superioribus tuis obtempe-  
ras Deo: & B. Virginem stellam tu-  
am imitaris. Si autem inobediens  
& rebellis fueris; B. Virgo cuius o-  
pem pro pacè impetranda implo-  
ras, te repellet, & Deus te perseque-  
tur atque aduersum te quocunq;  
in loco fueris proelia-  
bitur.